

nostra defumta. In his libris hoc potissimum creditur memorabile, quod, licet summa gratia Imperatoris sui frueretur, hunc autem Christianis admodum fauere sciret, his libris tamen septem nefaria Principum Rescripta collegerit, quibus doceret, qua poena affici oporteat, qui se cultores Dei profiterentur, ut refert de eo LACTANTIUS *Lib. V. Inst. Cap. XI.* Quamuis haec displiceant GROTIUS *de Vit. Ictorum L. II. C. X. §. 8.* qui alium quempiam Domitium, qui septem, non decem, libros de officio Proconsulis conscripsisset, subintelligendum hic censet.

III.

Diuus Hadrianus.

Imperium tenuit Aemilius Hadrianus, vel Adrianus, seculo secundo, qui sicut summam in legibus ferendis operam nauauit, ita Edictum perpetuum eius auspiciis, vid. *L. 2. §. 18. C. de Vet. Iur. Enucl. Eutrop. L. VIII. C. IX.* a Saluio Iuliano vid. *L. 10. C. de Condict. Indeb.* fuit collectum, in *L. 2. §. fin. D. de Orig. Iur.* Optimus Princeps, et in Lege nostra, sicut et alibi passim, Diuus appellatur, pro more illorum temporum, quibus Imperatores, post fata, inter Deos referebantur, quam ἀποθέωσις, eiusque solemnitatem describit HERODIANUS in *Historia L. III.* Hadriano nostro hos diuinos honores, precibus suis, a senatu impetrauit successor eius in imperio, Antoninus Pius. Conf. AELII SPARTIANI *Adrianus Caesar, Cap. XXVII.* An vero Aemilius Hadrianus, an potius modo nominatus successor eius, sit ille ipse, cuius Rescriptum in nostra lege allegatur, certo definire non auesimus, adoptatum quippe nouimus Antoninum Pium ab Aemilio Hadriano, sicut hunc a Traiano, antecessore suo. Vid. AELIUS SPARTIANUS *l. c. Cap. 4.* Idem igitur, Antoninus, cum Patre adoptante nomen sortitus est, et Diuus Hadrianus in legibus saepe audit. Sic SCtum Tertullianum, Tertullo et Sacerdote, Consulibus, factum fuit, ut conicit CUIACIUS ad *Tit. Inst. de SCto Tertull.* (de quo tamen dubitat SCHULTING in *Iurisprudencia Anteiustina. p. 668. seqq.*) qui Consulatus in Annum Christi CLVIII. et V. C. DCCLIX. atque sic in vltima Antonini Pii tempora incidit, et tamen §. 2. *Inst. de SCto Tertull.* factum esse dicitur temporibus D. Hadriani. Similiter epistola, quae in §. 4. *l. de Fideicommiss. L. 26. L. 27. §. 1. D. eod. et L. fin. C. de Constit. Pecun.* dicitur D. Hadriani in *L. 49. §. 1. D. de Fidei. et Mandat.* expref-

B

se tri-